734
155



QUÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS
MANE DISCUTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORUM
DIE JOVIS SEXTA MARTII,
M. NICOLAO LANGLOIS,
Doctore Medico, Præside.

An odorifera conferant diuturnitati vitæ?

I.



VALERE quidem ſuave eſt, & integrum eſſe viribus ſenſilis beatitudo cenſetur : ſed (proh dolor!) vbi mortalis ſtudet perennitati vitæ, eandem ſentit ſibi deficere, marceſcentibus in ſeipſo principiis vitæ duobus calore & humido; mors quippe, vt vita, naturalis. Vita permanſio calidi in humido, mors extinctio ejuſdem caloris ob inopiam humidi : mediæ inter has vitæ curriculum circunſcribunt longævitas & brevitas, quæ certos habent gradus commenſuratos à caloris & humidi proportione, & à diſpoſitione accidentium occultâ, fixâ & innatâ cuique individuo ab ortu ad aptitudinem generandi pravi aut boni ſucci, juxta quam variat plus aut minùs diuturnitas vitæ, minúſque & difficiliùs, aut magis & faciliùs à corruptione impetitur vnum individuum quàm aliud : hinc aſſueſcit non ali corpus, ob ídque infirmum erit; & cùm omnibus morbis obnoxia maximè infirmitas ſit, quoties offenſum corpus fuerit, vitioſa pars maximè ſentiet;

738

& cùm rarò eveniat, vt quiſquam non aliquam corporis partem imbecillam habeat, vt caput cerebrúmve, quo in numero magna pars vrbanorum eſt, aut ſtomachum, vt penè omnes cupidi litterarum, aut pectus, vt incurvi & gibboſi, ſuccurrendum erit ſemper parti laboranti, cui ſors non contigit valere & ſeneſcere.

II.

RUINAM quoque noſtram aër etiam adjuvando tentat, qui nobiſcum eſt inevitabilis, quo nemo carere poſſit, niſi ſubitâ maranſi obeat; calidus & humidiſſimus eſt, neutiquam tamen vbique talis; quà tangit convexum ignis, incorruptus, infrà vnde meteora prodeunt, frigidus, in infima regione, ceu apud nos, inæqualis, capax impreſſionum malignarum, quas creant vapores exhalationéſque elatæ à terrâ, ab aquis, à ſtagnis, lacubus, paludibus, cloacis, vallibus, cannabaceis, plantis arboribúſque viſcoſis, reſinoſis & malæ complexionis, vt ficubus, fraxinis, nucibus, quarum ſubſtantia, vicinia, vmbra & ſub his requies & mora, ob halitum noxium, inimica valetudini, & ſuſpecta tempore ronitrui; & aliis, in quibus nidificant bruchi, erucæ, cantharides, ærugines & ſimiles; quas ſi etiam Auſter afflaverit ventus opifex omnis putredinis in locis pluviis & irriguis, vbi ranæ bufonéſque aſſidui ſunt; omnis fætoris in plantis; omnis corruptelæ in inſectis; omnis labis, inquinamenti & peſtilentiæ in brutis, aër qui nos contactu, inſpiratu reſpiratúque afficit, deferens ſeminaria illa contagii, brevi quoque nos ſuo vitio perfundet.

III.

PARS faciei naſus viam aëri præbet, & ab imo in meatus duos oſſe medio diſcretos fiſſus eſt, qui versùs os in bina itinera dividuntur, quorum hæc ad pectus per fauces deſcendunt, & ſpiritui accipiendo & reddendo inſerviunt; alia ad cerebrum tendunt, quò etiam aër aſcendit, cum hoc tamen diſcrimine, quòd reciprocatio ſpirituum de pectore fiat per gurgulionem, non de capite aliquâ parte actitetur; auguror ita fieri propter olfactum qui in eadem parte nobis datur, néve exeat odor vbi ſemel aſcendit, nam ſi quid ſit quod cerebro noceat, præſtò eſt ſternutamentum quod in eadem agitur parte omen certum valetudinis diuturnæ: ita nemini dubium ſit, quin aër cor, pectus & cerebrum attingat, ſpiritus vitales & animales ventilet, mundificet, renovet atque exhilaret, & eò ampliùs, quò magis odoriferis, vt jaſminorum, delibutus fuerit.

3

IV.

ODORIS delibatio ſenſum quidem movet, ſed ejus eſſentia clandeſtina eſt, & origo illius ignota : ſi credideris agricolis, cùm æſtatis initio terram arant, & efferbuerit, quidquid ediderit principio bene olet; olitoribus, minimum granum quod germinat emergit rubrum, quaſi coloris ignei & odoriferi; paſtoribus, arbores omnes, in quas decubuerint radii iridis, odoratæ fiunt, vt aſpalathus, vitis ſylveſtris, rubus & id genus aliquæ; ſi rerum naturalium ſtudioſis, ſolæ plagæ quæ ad orientem ſolem ſpectant, odoratiores plantas alunt, minùs quæ ad Aquilonem, rariùs quoque loca Syriæ, Arabiæ & Africæ ; ſi vſui & experimento, quædam odorem non reddunt niſi crementur igni, vt ſuffimenta; alia niſi contuſa & fricata ; nonnulla pleniùs olent vbi mota & agitata quàm quieſcentia : & ſicut hyberno tempore minùs olfacere poſſumus, ita omnem odorem frigus, glacies & hyems extinguit; quocirca non aberravit qui odoris ducem calorem eſſe ait, quia calor quædam natura odoris eſt, quòd ejus delibatio ſurſum feratur ad naſum & cerebrum, quòd in longinquam diſtantiam permeet, & æſtate vigeat; ideo quodcunque odoriferum fuerit, mixtum eſt corpus in quo præpollet calor & ſiccitas cum pauco humido, ſed ſapido, quod à calore commenſuratè concoctum vaporem in ſe continet qui etiam odoris fert ſuavitatem. Provenit itaque ille odoris affectus non in omni ſubjecto & qualicunque materie, ſed in diſpoſitâ, quæ vbi immaduerit, & calorem exteriorem ſolis ſenſerit, ſpirate incipit, & vaporem intra ſe conceptum, ſed ſuaveolentiæ, emittit, qui odor eſt, qualitáſve pollens ſpeciatim in floribus, ad quos à natura tranſmittitur, & in halitu tanquam in ſubjecto ſenſum feriens : ſi enim alicubi, vt in cortice, ligno, foliis, fructibus, radice ſtirpis latitet, non effunditur, nec eminus ſed cominus tantùm ſecretior innoteſcit. Quamvis autem multa animalia fortiori olfactu gaudeant, accurrántque, aut avolent è longinquis intervallis ad paſtum quaſi odore ineſcata, homo tamen exquiſitiore præditus eſt, & differentias vsúſque odorum perfectè dijudicat.

V.

LANGUOR eſt imbecillitas totius ſubſtantiæ cordis orta à fœtido vapore obvio introeunte cum aëre in capacitatem ipſius, à quo ſpiritus vitales exoluti concidunt viréſque; ad cujus auxilium factus eſt à natura odor, qui proprius eſt ſoli homini, & cordi maximè,

quod cùm semper respirare debeat, etiam nihil respiret, nisi quid odoriferum, à quo ejus substantia imprimis siccitatem contrahat ad robur & perennitatem, à quo motus illi tremuli à graveolentia excitati sedentur, à quo spiritus vitales reficiantur; licèt enim odor non sit nutrimentum, est tamen fomentum spirituum vitalium, qui sunt vinculum animæ & corporis. Quare nec alienum erit à natura, cujus opera perpetuò ars nostra sequi solet & imitari, circuire loca obsita arboribus & plantis odoriferis, quarum flores adhuc animatos & tunc suaveolentiores cor subolfaciat; aut si fas non est, flores recenter excerptos; si nec hoc liceat, subodorari lintea quædam intincta in eorumdem florum aquis odoratissimis, & naribus oríque admovere; ad extremum, si hæc non arrideant, cura tibi concinnari globulum ex ambra, moscho, civeta, quem secretò geras, volvas, contrectes & subolcas; hunc senties non solùm prodesse cordi, sed & cerebro opitulari; frigido enim naturâ existente cerebro, & sanguine, qui circa illud in angustis venis existit, subtili & puro, caput fluxionibus opportunum est, ni ascendentibus odoribus in cerebrum propter levitatem caloris, etiam calor illorum adjuvet, quod frigus naturale partis infestat. Sic vbi aures intra se sonant, aut tympani humiditas nimia obest ne eædem exterum sonum accipiant, gossipium moschatum intrusum in aures exsiccat tympanum, & auditum restituit: sic mane spiritu vini os fovere, eluere, salubris vsus fuerit in cordis & stomachi firmitatem; esse quoque in mensis edulia ex odoriferis condita; sorbere jusculа ex oleribus aromaticis; ferinas quoque bestias, tam aves quàm quadrupedes venaticas assatas comedere cum succo aurantiorum; miscere quoque his acetaria ex balsamo, nasturtico & aliis pusillis herbis fragrantibus; vti vino tenui frambosio, mos suavis erit toti palato: horum enim omnium vapor gratiosus & suaveolens tempore coctionis emissus à stomacho in cor, cui consociatus est per sympathiam, & in cerebrum, corpus incolume inter odores servat. Quid plura? mirum est inter fastidiosas medicamenti purgantis sorbiunculas etiam dari locum aromaticis in patrocinium mœrentis stomachi; & in casu pestilentiæ cùm nemo securus esse possit, immunis à periculo est qui sorbuerit theriacæ aut confectionis alkermes aut de hyacintho drachmam vnam, & stipatus odoriferis incederit.

Ergo odorifera conferunt diuturnitati vitæ.

Proponebat Lutetiæ FELIX LISLEMAN, Constantiensis A. R. S. H. M. DC. LXX.

E Typographia EDMUNDI MARTINI, viâ Jacobæâ, sub Sole aureo.